Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1507
Quelle:
Copyright:

teratorum curiositate, ex altera lucelli cupidine Exempla multiplicata fuisse quivis facile videt.

DCXLVIII.

H. 13 Codex chartaceus lat. Sec. XVIII. Folior. 401. f. alterum Exemplar est mox dicti *Colloquii* uno Tomo compactum.

DCXLIX.

H. 11 Codex chartaceus lat. Sec. XVIII. Pagg. 248. 4. inscribitur: *Mutiani de Bath Equitis Scoti de Verae Religionis Inventione et Forma Libri Sex.* Praeit *Symbolum in Fronte Operis collocandum:* Triangulum nempe in Circulo, quem Quadrum claudit. Quadro inscriptum: *Anni tui non deficient*, Circulo: *Unum Verum Bonum*, Triangulo: *Idem ipse est.* Succedit Epistolium: *Domino Reinerio de Leers perillustri Typographo Rotero - Damensi*, hujus tenoris: *Veritas undique exagitata et ubique odiis exposita ad asylum libertatis simul et virtutis confugit (Bataviam scilicet vestram) venustissimis et fidelissimis tuis typis suum honorem committit asserendum, unaque rogat, ut errores Orthographiæ emendes simul et condones. Vive bonus, ut semper foelix vivas. Veritas* haec de Erroribus suis *orthographicis* tantum solicita fucum nobis facere velle videtur, lego enim ad Operis calcem: *Andræopoli in Scotia Typis Jodoci Olasco* 1686. et nunquam illud prelo subjectum fuisse puto. Exemplar alterum ms. Catalogus *Bibl. Uffenbach.* T. III. p. 681. indicat, ubi Typographus *Jo. Clasquo*, tertium Catalogus *Bibl. Reimman.* P. II. p. 989. ubi *Job. Clasgo* audit. Διαγνωσιν ipsius Scripti praeoccupavit doctiss. *Reimmannus* cum *l. cit.* tum *Histor. Atheismi* p. 551. locoque priore vere concludit: *Res omnes anomalae, paradoxicae, et prodigiosae, et ita comparatae, ut, quas Ed. Herbertus, aliique hujus commatis Naturalistae de hoc Argumento sparserunt, orthodoxa videri queant, si cum heterodoxiis Auctoris nostri comparantur.* Atque hunc ego non extra *Reineri de Leers* Patriam, Seculumque XVIII. quaerendum censeo.

DCL.

Codex chartaceus gall. Sec. XVIII. Folior. 133. 4. quaedam Scripta complectitur famosi Increduli *Job. Tolandi Hiberni Ultoniens.* de quo consulendi *Biographia Britan. Vol.* VI. P. I. p. 3965. *Niceronus* T. 1. et 10. *Mosbemius de Vita et Script.* ejus &c. ex *Anglico* in *Gallicum* pravo studio conversa, et quidem 1) *Christianisme Judaique et Mahometan*, qui anglice in publicum extrusus est quadriennio ante Autoris mortem *Londini* 1718. 8. titulo *Nazarenus, or Jewish, Gentile, and Mahometan Christianity* &c. sed in Exemplo nostro uberior est, aliterque ingreditur, et per- H. 7